

3

ribus, & suorum institutorum tenacioribus;
partim rationi, qua Deus longe alia usus est in
Anglia ad Papismi euersionem, & propaga-
tionem purioris sui nominis cultus, quam in
Scotia. Etenim cœpit in Anglia reformatio
à Rege & Proceribus, in Scotia verò à plebe.
Ut de reformatione in Anglia instituta priùs
verba faciam, incipiam in Edwardo sexto, sub
quo illuxit prima spes reformationis. Certum
quidem est, iam Henrici Patris temporibus,
prima enata semina, quæ occasionem dedere,
eo fatis concessa reformationis instituendæ,
sed nunquam eo animo & mente exclusa à
Rege & Magnatibus, vt seriò reformatio in
Ecclesiam inueheretur: quidquid enim tur-
barum euenit eo tempore circa Religionem,
& quod Rex auctoritatem Pontificiam per
regnum abrogarit, effecit non veritatis amor
& cognitio, sed animus libidinibus æstuans,
& pruriens ad nouas subinde nuptias conuo-
landi, accidente insuper Paparum pertinacia:
nam certè in reliqua vita ita se gessit ille Rex,
vt eum, si æquiores & prudentiores Pontifi-
ces nactus fuisset, sponte sc subiecturum ipso-

A 3